



**R.P. Francisci Svarez Granatensis E Societate Iesv
Doctoris Theologi, Et In Conimbricensi Academia Primarij
at[que] Emeriti olim Professoris Tractatvs Qvinqve, Ad
Primam Secvndae D. Thomae**

Suárez, Francisco

Mogvntiae, 1629

2. Vtrùm solus Deus sine consortio alicuius creaturæ sit sufficiens
objectum humanæ beatitudinis?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94065](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94065)

cum voluntatis obiectum sit bonum, & intellectus sit ens, plane comprehendunt Deum sub suis obiectis; & ita sunt aliquo modo capaces Dei. Rursum Deus cum sit summum bonum, & summum ens, est precipua pars, & precipuum obiectum harum potentiarum: ergo fieri non potest, ut homo secundum has potentias fiat beatus in solis creaturis sine Deo, quia deest illi id, quod est supremum, & optimum in capacitate sua.

VIII.

Vnde confirmatur, nam in homine operante secundum rationem duplex facultas considerari potest; altera est speculatiua ad contemplandum, & hæc non potest esse contenta si non perueniat ad Deum, qui est supremum intelligibile. Vnde recte Greg. Nazianz. *Orat. 21. de laudibus Athanasij. Intelligibile omnium* (inquit de Deo) *summum est vertex, in quo desiderium omne consistit, ac desigatur, nec supra eum usque fertur, nec enim quippiam sublimius habet, aut habebit unquam mens ulla; quamuis philosophica, & altissima tenens, ac summè curiosa: hoc enim verum omnium expectandarum extremum est, quo cum peruenimus, conquiescit omnis speculatio.* Altera facultas humanæ mentis est ad operandum secundum rationem: hæc autem multo minus potest esse perfecta sine Deo, sed solum quando honestissima operatione fungitur, quæ est amor Dei. Propter quod dicit Eccles. *ult. Deum time, & mandata eius obserua, hoc est enim omnis homo.* Nec contra hoc occurrit difficultas alicuius momenti.

SECTIO II.

Utrum solus Deus sine consortio alienius creatura sit sufficiens obiectum beatitudinis.

I.

Ratio dubij est, quia licet Deus sit supremum hominis bonum, non tamen est vnicum eius bonum: nam præter Deum, indiget homo ut commodè viuat, & bonis corporis, & aliis bonis animæ præter cognitionem Dei; quæ omnia bona naturaliter appetit: ergo non fatiatur appetitus hominis Deo: ergo solus Deus non est sufficiens obiectum beatitudinis eius. Nec satis faciet si quis respondeat, hæc omnia bona contineri in Deo, continentur enim eminenter, non formaliter: homo autem indiget illis prout formaliter illum perficere possunt non tantum secundum eminentiam suam: nec enim erit homo sanus cognoscendo sanitatem, quæ est emanet in Deo, sed habendo in se formalem sanitatem, & sic de aliis. Secundo auget difficultatem, quia ut homo sit beatus, non satis est videre Deum: sed necesse est ut videat se videre, quia alias, nec amare poterat suam beatitudinem, nec de illa gaudere propter quod quidam dixerunt, magis consistere beatitudinem nostram in cognitione reflexa, quam in directa: ergo in obiecto nostræ beatitudinis non solum continetur Deus, sed visio Dei, illa verò creatura est. Simile argumentum fieri potest de amore, quia, ut simus beati, non satis est videre Deum, sed etiam videre illum ut summum bonum à nobis dilectum, quia non potest beatificare, nisi quod amatur, & quatenus talis esse cognoscitur, quia beatitudo est satietas amoris, & terminus eius: ergo in illo obiecto includitur non solum Deus, sed etiam amor Dei, qui est quid creatum. Simile etiam est, quia ut simus beati, necesse est ut cognoscamus beatitudinem nostram perpetuò duraturam, alias non posset excludi omnis timor & anxietas, prout ad beatitudinem necesse est:

ergo in obiecto nostræ beatitudinis includitur non solum Deus, sed etiam perpetua duratio eiusdem beatitudinis; illa autem duratio creatum quid est. Tadem de beatitudine naturali potest esse difficultas, quia non potest anima nostra cognoscere Deum nisi cognoscendo se ipsam, vel aliquam aliam creaturam; imo nec in beatitudine supernaturali (ut multi existimant) potest videri Deus, nisi visis in ipso aliquo modo creaturis. ergo.

III.

In hac quaestione Philosophi omnes sensisse videntur indigere hominem præter Deum aliis bonis creatis ad felicitatem suam: non tamen accurate distinxerunt, aut intellexerunt, an illa bona sint essentialia, ut particularia obiecta essentialis beatitudinis, vel solum ut dispositiones quædam vel proprietates, seu accidentariæ perfectionas eius: quin imo etiam inter Theologos Durand, Olcott & alij, quos citauimus *disput. præced. sect. 1.* contenti illa distinctione beatitudinis quatenus significat aut perfectissimam operationem, aut collectionem omnium bonorum, respondent; solum Deum esse obiectum beatitudinis priori modo sumptæ, non tamen posteriori modo. Sed huiusmodi distinctio non deseruit ad rem explicandam, sed potius confundit illam: nam iuxta illam responcionem videtur sequi, Deum nullo modo esse ad æquatum obiectum nostræ beatitudinis, sed partiale, quauis precipuum. Supponendo ergo sermonem esse de propria, & essentiali beatitudine, aduertendum est aliud esse loqui de proprio obiecto bono, cuius cõsecutione beati sumus, alia vero de his, quæ vel cum illo obiecto coniuncta sunt, vel ex parte nostra sunt necessaria ad consequendum illud obiectum perfectè, & ut in nobis efficiat illos effectus omnes, quos perfecta beatitudo requirit: non enim omnia, quæ hoc modo requiruntur, oportet ut sint propriè obiecta beatitudinis essentialis: sicut non omnia quæ sunt necessaria ad introductionem, vel conseruationem formæ, nec etiam quæ illa consequuntur, pertinent ad essentialia compositum.

Ditendum ergo est absolutè & simpliciter, solum Deum esse obiectum nostræ beatitudinis essentialis, atque hoc modo illum sine consortio creaturæ sufficere ad nostram beatitudinem. Quam assertionem existimo certam, & ita in ea consentiunt omnes Theologi, & colligitur ex modo loquendi sacre Scripturæ; primò ex illis locis, in quibus Deus solus vltimus finis noster, ut supra tractauimus *d. 3. sect. 1.* nam idem est finis vltimus, & obiectum beatitudinis. Deinde ex illis locutionibus, *beatum dixerunt populum, cui hæc sum: beatus populus, cuius Dominus Deus eius, Psal. 143. & 72. Pars mea Deus in æternum; & Non gloriatur sapiens in sapientia sua, nec fortis in fortitudine sua, sed in hoc gloriatur, scire & nosse me, Ier. 9.* Faciunt etiam illa verba Christi Ioann. 17. *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, &c.* nam de vera beatitudine multi Patres locum illum interpretantur, quos in suo loco indicabo. Docuit etiam hanc veritatem Nissenus *lib. de beatitudinibus, beatitudine 6.* eamque colligit ex illa promissione Christi, *quoniam ipsi Deum videbunt.* Optime eandem tractat, & ex S. Scriptura confirmat Aug. *lib. 22. de Ciuitat. cap. 30. præmium,* inquit, *virtutis erit ipse, qui virtutem dedit.* Colligitur etiam ex Extrauaganti Benedicte XI. quam refert Castro *verb. Beati* vbi definit beatitudinem nostram consistere in visione & fructione Dei. Vnde à posteriori confirmari potest. Nam Christus Dominus in via fuit absolute, & simpliciter beatus propter hæc visionem & fructionem, etiam si affe-

ctus

Aut esset multis malis poenæ; & similiter anime sanctæ sunt absolutè beatæ; quamvis careant corporibus, & consequenter aliis bonis corporis. Et addere possumus, si fingamus nō esse in mundo aliā creaturam, nisi vnam animam videntem, & amantem Deum, illam fuisse futurā sufficienter beatam, & tamen nec cognosceret, nec frueretur alia creatura; quāvis autē supponat necessariō existentia ipsius animæ, & facultatum eius, non tamen per modum obiecti, sed subiecti beatitudinis, vt supra dicebamus, ipsa nō est finis sui, sed se ipsam debet in Deum referre. Cuius etiā signum est, quia etiam si fingemustalem animam non cognoscere se ipsam, sed solum videre Deum, ipsosq; frui, hoc ipso solo esset beata, quia consecuta est vltimum finem suum.

IV. Atque hinc reddi potest ratio huius veritatis, quia vt Arist. ait 1. *Ethicor. cap. 7.* finis perfectus simpliciter est qui propter se semper, & nunquam ob aliud est; talis autem est felicitas: sed solus Deus est perfectus finis, propter se amandus, & reliqua omnia propter ipsum: ergo solus ipse est obiectiua beatitudo simpliciter humanæ naturæ. Quod in hunc modum confirmatur & explicatur. Nā licet in beatitudine multa requiratur bona ad completum statum eius, tamē, vt rectē Aug. dixit *dict. lib. de Ciuit. omnia* debent in laudem Dei ordinari, illumq; tāquam finem vltimum respicere; id autem, quod est finis, & vltimum bonorum omnium, illud est proprium & per se obiectum beatitudinis. Confirmatur præterea ex Aristot. *eodem 1. Ethicorum capit. 7.* perfectum bonum est, quod per se est sufficiens; sufficiens autem per se, illud esse ponimus, quod solum a cæteris segregatum expectibilem vitam facit, rei quæ nullius indigētem: huiusmodi autem felicitatem existimamus esse. *libro autem 10. Ethicorum capite 2.* addit cum Platone, sumum bonum per se; & nullo addito tale esse, & non fieri expectabilius propter additum alterius boni; nam hoc ipso, inquit, non esse summum bonum. Vnde concluditur ratio, nam Deus per se solus est summum bonum simpliciter, & perfecta cum ipso coniunctio, seu illius adeptio est per se maximè expectibilis & sufficiens ad perfectionem hominis non solum quia in Deo continetur omne bonum eminenter sed etiam quia secum affert quidquid ad beatitudinem hominis necessarium esse potest: ergo solus Deus est essentialē obiectum nostræ beatitudinis. Et confirmatur tandem, quia solus Deus est primum hominis principium: ergo solus etiam est vltimus finis eius; ergo in reditu ad ipsum & in consecutione eius stat hominis beatitudo. Lege August. *5. confession. cap. 4. & 13. de Trinitate capit. 7. epistol. 57. & Diu. Thomam contra Gent. cap. 37.*

V. Atq; ex rationibus factis colligitur, assertio-nem positam veram esse, tū in beatitudine super naturali perfecta vitæ futuræ, de qua maximè procedunt omnia dicta, & potest de illa peculiaris ratio reddi, quia illa beatitudo propriè respondet gratiæ, tanquam sibi connaturalis: gratia autem est quedam propria participatio diuinæ naturæ: & ideo sicut diuina natura se ipsa est beata, ita propria beatitudo respondens huic gratiæ, consistit in coniunctione ad eandem diuinam naturam per altissimā participationem illius visionis, qua ipsa se fruitur: tum etiam de beatitudine supernaturali, qualis in hac vita imperfectè haberi potest, quia solus Deus est

Suares in primam secundam D. Thom.

supra omnia diligendus, omniaque ad hunc amorem, & ad ipsius Dei consecutionem referenda sunt, vt verè pertineant ad nostram perfectionem: tum denique de felicitate, seu beatitudine naturali, quæ habere posset vel in hac vita vel in anima separata propter eadem rationem, nam etiam si homo conditus in puris naturalibus, deberet Deum supra omnia diligere, & in eum vt in vltimum finem omnia referre.

Sed dubitabit hic aliquis, an Deus sit obiectum nostræ beatitudinis vt realiter existens à parte rei, vel solum vt obiectiue existens in mente humana. Quidam enim asserunt, quod licet de ratione Dei, vt Deus est, sit existere, tamen si præcisè consideretur id quod necessarium est in illo, sic non necessariō includi existentiam rei in seipso, sed solum esse obiectiue in mente. Quod per hanc conditionalem explicatur, nam si intelligamus beatitudinem hominis consistere in visione pulchræ imaginis, si Deus conseruaret in oculo illam visionem destruendo obiectum in esse existentis, tam beatus maneret homo sicut antea; quia ex parte sua eodem modo attingeret illud obiectum, atq; ita realis existentia illius obiecti non esset necessaria ad talem beatitudinem, sed solum obiectiua: ergo si per impossibile fingeremus, cognitionem, aut visionem Dei manere in intellectu nostro, etiam si Deus non existeret eodem modo, essemus beati, quia haberemus eandem formam beatificantem: ergo ex præcisâ ratione beatitudinis non requiritur existentia realis in illo obiecto, sed solum esse obiectiue. Cui modo dicendi viderur fauere Durand. *m. d. 46. q. 1. n. 3.*

Sed hæc opinio viderur mihi valde falsa, & apertam repugnātiā inuoluens, quia Deus est obiectum nostræ beatitudinis, quatenus est primum ens ac purissimus actus, & perfectissimus; ergo necesse est vt in eius ratione, etiam vt obiectum est talis beatitudinis, includatur quod sit ens necessarium per essentiam, atque adeo quod includat non solum obiectiuam, sed realem, & veram essentiam: quia potius in hoc obiecto non sunt hæc duoseparabilia, quia illud, quod maximè de illo cognoscitur, aut in ipso videtur, est quod existat, & sit suum esse: & ideo et si fortasè in aliis rebus, & præsertim in obiectis sensibilibus posset fieri à Deo vt maneat intuitiua visio sine reali existentia obiecti, tamen in hac Dei visione manifestam contradictionem inuoluit, non solum quia ex parte Dei repugnat non esse, sed etiam, quia ex parte visionis repugnat manere, & nō terminari ad ens necessariō existens vt sit: imò etiam in cognitione abstractiua Dei, quæ vera sit, & scientifica, repugnat esse, & non fieri circa ens quoddam necessarium, quod à se essentialiter existat.

Ad rationes dubij in principio positas. Ad primam fatemur, ad completum statum beatitudinis requiri alia bona: tamen non sunt propriè obiecta essentialis beatitudinis, quia nec sunt finis vltimus, nec pars eius, sed ad aliud vt finem vltimum ordinantur, & ab illo quasi à primo fonte originem ducunt. Ad alteram vero rationem dubij similiter respondetur, ad summum probare aliquid creatum requiri ex parte nostra, vt iplo Deo perfecti efficiamur beati, quid autem illud sit, & quæ alia bona in beatitudine requirantur ad completum statum eius, postea est latius explicandum in singulis beatitudinis statibus.

D SECTIO

VI.

An realis existentia pertineat ad obiectum beatitudinis.

VII.

VIII.